Misc. 650 n. 16

30

ORATIO DE S. SPIRITVS ADVENTV

AD SANCTISS. D. N.

VRBANVM VIII.

PONT. OPT. MAX.

HABITA

IN SACELLO PONTIFICVM QVIRINALI

A D. ANTONIO PIGNATELLO

Neapolitano Sem. Rom. Conuict.

FLVVIVS IGNEVS RAPIDVSQVE
EGREDIEBATVR A FACIE EIVS.
Daniel cap. 7.

VRBANO OCTAVO

PONT. OPT. MAX.

D. ANTONIVS PIGNATELLVS.

SACRVM Danielis Oraculum, quod mihi orationis coram te dictæ argumentum præbuit, BEATISSIME PATER, ſpem quoque iniecit fore, vt eam tuo Auguſtiſsimo Nomine decorari libenter ferres. Etenim in Igneo Sancti Spiritus Fluuio, qui

tuo in ore alueum habet certum, atque perpetuum, agnoui etiam lucidè adumbratam tuam in omnes latè fluentem benignitatem, cæleſti ſimilem igni; hoc eſt eam, quæ vrere, ac nocere neſciat, lucere tantum, & prodeſſe conſueuerit. Huc accedit quòd, vt Diuina Vox atteſtatur, ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur. Hic igitur fluuius è Cælo delapſus, & à me piè hac oratione collectus tibi offerendus fuit, qui non modò à mari vſque ad mare, ſed vſque ad cæleſtem fluuium dominaris; vt diuinarum gratiarum flumen per te in Cælum redeat, per quem beneficio mortalium frequenter, ac liberaliter ſeſe profundit in terras.

FLV-

FLVVIVS IGNEVS

BENIGNO flammarum impetu deuolutum in terras hodie cæleſtem ignem B.P. Fluuium Igneum vt appellem, ſuadet mihi antiquus Diuini Spiritus naſcentem mundum peragrantis inceſſus. Qui enim ab exordio rerum ſuper vndas, & fluctus ferebatur, *Gen. 1.* cur nunc aliter quàm in fluuio veheretur? Præclarè verò diſpertitus in linguas, tanquam in vndas ſacer fluuius delabitur. Siquidem hic ille eſt fluuius igneus rapidusque, *Daniel. c. 7.* quem à facie Dei egredientem fortunatus olim Vates aſpexit. Et quid aliud congruentius ab ore manaret, quam lingua? Neque minus ad fluuij ſpeciem pertinet adiunctus igni ſonus venti vehementis. Suis *Act. 2.* quippe ventis, magnorum de more flumi-

num̉, hic etiam fluuius agitandus erat. Eius enim eſt flumen, cuius in conſpectu ex-
Pſal. 49. ardeſcit ignis, & in circuitu tempeſtas va-
lida ſonat, improbis infeſta, probis pretioſa. Quàm feliciter in gratiam Apoſtolorum fluuiales flammas aura commouit; dum eas non exitioſos glomerauit in vortices, ſed ſalutares criſpauit in linguas. Hic nempe fluuius ſcaturigo ſalutis eſt, & vena vitæ. Quod vt luculenter oſtendam, tu cæleſte
Pſal. 118. flumen mihi vel vnam igniti eloquij vndam impertire ne dedigneris. Opportunè Diuini fluuius Amoris, qui fontem habet in corde Patris, & Filij altiſſimas cæli ripas egreſſus terram inundauit; vt agrum quem ſator Deus paulò ante arauerat Cruce, opimauerat ſanguine, fæcundauerat morte, conſeuerat commiſſo corpore ſuo, corriuato etiam vberi fluuio largè rigaret. Decuit autem flumine igneo rigari, vt gelu timoris ſoluto, meliori nouæ legis cultura, amoris non tam herbas, quam flammas germina-
Cant. 4. ret. Hortus Eccleſiæ concluſus ſortitus eſt fontem pariter ſignatum, & obſtructum. Egregiè verò fons aquæ clauſus eſt. Alimentum enim ab igne, non ab aqua capere

debuit

debuit beatum hoc viridarium : & quem hortum Auſter ventorum ardentiſſimus perflat, rectè etiam riuus ardens irrigat. Quòd ſi ſapienter dictum fuit, fluuios eſse veluti papillas terræ ad alendos eiuſdem terræ partus a natura productas; nobiliori prouidentia nutritius animorum Deus Amor ſuam in morem fluuij mammillam protulit, vt nouellam ſtirpem enutriret. Verùm pro tepido lacte liquidas faces deprompſit, quia non teneros infantes, ſed robuſtos Oratores inſtruxit : ab vbere profudit linguas, vt Apoſtolorum in ora non magis nutrimentum ſuæ, quàm inſtrumentum alienæ ſalutis inſtillaret. Ætate illa priſca, cui ab auro factum eſt nomen pulchrum magis, quàm verum, fluxiſſe narrantur flumina lactis, & mellis. Nunc enimuerò ſæculum aureum fluere incipit, cum è ſacra Dei mammilla euoluitur linguarum fluuius planè melleus, & lacteus. Siquidem mel, & lac ſub lingua eius ſuauiſſimè manat. At ſi è terreſtri Paradiſo quatuor fluuij diffuſi perhibentur, cur è cæleſti vnus tantum emanat? Nimirùm aqua molle, & ignauum elementum ſcindi ſe facile patitur, & iniurioſo diuortio

Philo Iud. l. de opif. mundi.

Cant. 4.

Gen. 2.

uortio diſſipari; ignis verò nobilis æquè, ac potens vno decurrere alueo, vnus, atque integer eſſe vult; vt nempè in cor vnum, & animam vnam nouos Eccleſiæ fœtus aptiùs adſtringat. Hìc videlicet fluuius ille pacis eſt, quem declinaturum ſe ſuper Sion immutabili ſponſione præmonuit Deus. An non vnus eſſe debuit, qui fluuius erat pacis, atque concordiæ? Meritò proinde quatuor terræ partes ſuos oblitæ fluuios innumerabiles vaſtationibus agrorum, & Vrbium tumidos, hominum ſanguine decolores, ad hunc vnum accurrunt, qui amoris teſſeram vehit in flammis, ſalutis nuncium portat in linguis. Amnem neſcio quem, cuius aquis quicunque ſeſe abluerent, amorem illicò deponerent, Græca finxit antiquitas. O tantò nobiliorem, quantò veriorem diuini Spiritus vim, cuius charitatem aquæ multæ non extinguunt; cuius flumina amorem non obruunt, ſed accendunt. Quid ambigitur, animalia ne ſint vlla, quæ in medio igne vitam traducant? En Apoſtoli, Diuini Pyrauſtæ, fluuio innutriti igneo vitæ datorem, ac ſeruatorem comprobant cæleſtem ignem. En nouis imbuti ſacris ſanctiùs, quàm veteres

Act. Apoſt. c. 4.

Iſaia 66.

Cant. 8.

Sacer-

Sacerdotes antequàm ſuorum corporum victimas immolent, flumine viuo ſe abluunt. Si circumfluens olim ignis ſpineto Moyſi oblato ardorem quidem infudit, at vitam non ademit; quidni ſorte meliori Apoſtolicum non rubetum, ſed roſetum igneo flumine circumſeſſum ardere ſimùl, ac vernare potuerit? Neque enim Martyrum roſæ alio aluntur riuo, pinguntur colore, quàm & ſanguinis ſui, & ignis diuini. Iure etiam ſuper Apoſtolos illapſus, eorum capita præcipuè lambit, atque ora reſpergit fluuius iſte vitalis. Siue vt capillos, hoc eſt radices humanæ arboris irriget, ex antiquo eorum Sapientum effato, qui hominem arborem eſſe inuerſam aſſeruerunt. Siue potius vt oſtendat ſe ab ore Diuino emiſsum, in ore Apoſtolorum libenter conquieſcere; imò ne hîc quidem conquieſcere; ſed tantiſper recondi, vt eorum deinde per ora, plura veluti per oſtia refuſus ſalubri diluuio in omnem terram exundet. Hebræorum Legiſlator ille vix natus in profluentem aquam deiectus, eam expertus eſt innoxiam, & fidelem. Quid nuper creati nouæ legis Interpretes flumine non aquæ, ſed ignis immer-

Aurel. Victor de viris illuſtr.
Exod. 3.
Exod. 2.

merguntur ? Scilicet aqua probari debuit
infans, cui grandæuo in theatrum gloriæ,
Exod. 14. ampliſſimæ Erythræi maris aquæ deſtinatæ
erant. Aqua inuolutus tantiſper latuit, vt
deinde igne in columnæ, aut potius in tro-
phæi ſpeciem præfulgente, ex Ægypto abi-
ret illuſtrior. At vos feliciores Eccleſiæ Du-
ces igneo committi flumini par eſt; vt per-
ſonam induatis eo dignam Principe, qui
Pſal. 103. Miniſtros ſuos facit ignem vrentem; vt in
Eccleſiaſt. medio ignis non æſtuare iam nunc aſsue-
51. ſcatis; vt intelligatis veſtros triumphos pro
Mari Rubro effuſi ſanguinis fluuium diuini
amoris æſtu feruentem habituros. Ad æmu-
lationem, credo, cæleſtis fluminis ſuos quo-
que terra interdum protulit fluuios igne ma-
nantes. Teſtes mihi ſunt Ætna, & Veſu-
uius non ſemel, nec ita pridem amplos flam-
marum torrentes violenter enixus. Sed ò
Pſal. 45. quantum à flumine, cuius impetus lætificat
Ciuitatem Dei, diſtant torrentes illi, qui
Ciuitatem Campaniæ dominam, & plagam
Italiæ amæniſſimam contriſtarunt. Non
enim ad alendam, ſed ad abolendam vitam
igneos terra fluuios parturiuit. Et quam,
oro, vitam darent fluuij educti ex imo
mundi

mundi non tàm ſinu, quàm ſepulcro, & propè ex ipſis regionibus mortis æternæ. Mercibus vltro, citroque conuehendis vtilem ſanè humanæ vitæ operam præſtant perennes fluuiorum lapſus. At ignei fluminis vtilitates quis enarret? Quando non modò pretioſas quasque cæli merces, ſed Cælum ipſum liquefactum, imo Deum igne fluentem, ac fuſilem comportat in terras. Hoc flumen verè ſuperis ima continuat, geminoque facit mundo beata commercia. Fluminibus quà auriferis, quà gemmiferis diuitem admodum ſe antea terra crediderat. Verùm hodie præ hoc igneo fluuio pauperem ſe fuiſse cognoſcit. Quid enim opulentius eo igne, qui veræ charitatis aurum optimum non probat modò, ſed parit: qui ſuas inter vndas pro gemma ipſum Dei cor, Diuinum nempe Spiritum ſpecioſè deuoluit. Fuerit igitur hactenus in fluminibus furor tuus, & in mari indignatio tua Domine. *Habuc. c. 3.* Iam in flumine, marique igneo feliciùs tuus ardet Amor, tua nauigat Clementia. Fulgura in pluuiam feciſti, vt repentino de nimbo natus torrens igneus ver amoris iam aduenifſe demonſtraret. *Pſal. 134.* Canorum

lin-

linguarum flumen emiſiſti, vt ad lætum
Pſal. 136. eius murmur conſidentes, fletus ſuper flumina Babylonis effundere deſinamus. Age demum Deus Amor, vitæ nutritor, dum ex
Iſaia 41. vetere promiſſo aperis, ac demĩttis è ſupinis cæli collibus flumen igneum, eodem igne natale cælum repetente, fiat in nobis fons in vitam ſaliens immortalem.

D I X I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

L A V S D E O.